

# VARIETADES.

---

## LA NUEVA LÁPIDA DE OVIEDO.

484 Oveti rep. a 1898 in effusionibus institutis a viris doctis, quibus cura monumentorum provinciae eius conservandorum commissa est, in aedícula vetusta Sanctae Leocadiae, ubi lapis in tres partes fractus, altus m. 0,48, longus 1,48 pro altari erat. Litterae altae sunt m. 0,10 optimae et profunde incisae, saeculi puto VIII vel IX.

Descripsi, ex imagine photographa et ectypo a Rafaelē Altamira misso, unde supra repraesentata est. Edidi *bulletin hispanique* 1, 1899, n. 4 (1).

Mihi visa est ita fere posse suppleri, probante Buechelero, qui antea de aliis supplementis cogitaverat,

† *principum [eg]regius hanc aulam Vu[l]fila fecit  
hec ore hoc mag[no] eximia macina [pollet  
undivagumque maris pelagum habita[re] sultos  
haura tenet homines inmenso [aequore] vectos*

V. 1 observa *aulam* et *haulam* formas v. 4 iuxta usurpatas. *Vulfilae* nomen supplevi exempli causa utpote inter Gotos notum; num illa aetate eius vel similis nominis princeps aliquis Asturiae fuerit ignoro.

2 Os magnum aedificii videtur significare portam. *Mag[no] eximia*; scilicet ignorat poeta hic elisiones ut v. 3 in *pelagum ha-*

---

(1) Véase la pág. 43 de este cuaderno.

*bita[re]* et v. 4 si recte supplevi, *inmenso [aequore]*. *Hec macina sacra* est in titulo Asturiae supra n. 149.

3 *homines undivagum pelagum maris habitare suetos* sive *peritos* si recte supplevi, puto fuisse nautas audaces, qui illa iam aetate e Cantabriae et Asturiae portibus solebant vela facere ad balenas piscesque omnes venandos in maribus longinquis, quae sunt versus septentriones et occidentem. Unde apparere videtur aulam a Vulfila conditam destinatam fuisse ad nautas hospitio recipiendos, simili hospitiorum eius generis quae hodie extant.

4 *inmenso [culmine surgens]* proposuit Buechelerus. Et fa-  
teor homines pelagum habitare suetos cum pleonasmō quodam vocari *inmenso aequore* vectos; neque vero *inmensum aulae culmen* placet.

Litteratura, in qua observa *H* et *h* iuxta positas, scribendi ratio, *hec, macina, haula, inmenso* totusque carminis tenor conveniunt cum saeculo octavo nonove. *Undivagus* vocabulum a Corippo saepius usurpatur Joh. VII 343, VIII 344, laud. Just. I, 110.

AEMILIUS HÜBNER (1).

---

(1) *Inscriptionum Hispaniae christianarum Supplementum*, núm. 484.